triumphator gaudens, secum tulit, et ibidem in ecclesia majori honorabiliter collocavit. Tunc etiam Gero episcopus Halberstadensis corpora Sanctorum Gervasii et Prothasii secum a Mediolano transtulit.

Anno Domini M°CLXVIII. Fredericus imperator rursus Ytaliam ingreditur, et cum esset in civitate Anthonia, Maguntiensis et Coloniensis episcopi, regia manu cum Romanis conflictum commiserunt, et paucis Teutonicorum interfectis, primo quidem die prelio victi cesserunt. Cum vero nocte proxima surgentes, Romanos, de priori victoria elatos, deque suorum multitudine securos, armis repente invaserunt, et ad tria millia circiter virorum, duosque cardinales occiderunt, captivorumque septem millia ceperunt. Quo feroci impetu Romam agressi civitatem, januas ecclesiarum Sancte Dei genetricis Marie ad gradus, Sanctique Petri, apostolorum principis, securibus exciderunt, ipsasque igni succenderunt. Romanos vero, qui pro tuitione locorum intus refugerant, gladiis perimerunt, altaria sanguine aspersa, nil pietati, nil, proh dolor! religioni delatum. His audacter patratis, papa Paschalis altaria, quasi sub Alexandro papa, de novo redificare cepit.

Cr. S. P. 1168. (a. p. [illegible])

=k.

f. 112.

a) pierunt c. n^t n^t

p.!

=k.